

tu, & progressu juris civilis laudatissimo opere, in lib. 1., qui est originum, num. 6., hæc de Apparitoribus scribit: *Suum quoque locum tenebant Apparitores Magistratum, & Accensi, sic appellati, quod accirent, sive exciperent mandata Consulis, & vocarent ad comitia centuriata, itemque ad tribunal Prætoris, eos, quibus erat jus reddendum; vel molestis interpellationibus silentium imponebant: Varro de ling. lat. Sigan. lib. 2. c. 15. de antiqu. civ. Rom.* Sub nomine proinde Apparitorum etiam Accensores collocat, ut Pitiscus; sed cæteros removet, nempe Scribas, Interpretes, Praecones, Viatores, Lictores, Servos publicos, & Carnifices, contra Pitiscum. Inter Lictores autem nullum statuit discrimen, quum æque de omnibus dicat: *Lictores etiam erant, qui summovendo populo, fontibus cædendis, ac securi feriendis, faciensque iussibus præsto erant Consulibus, Prætoribus, Interregibus, & Dictatoribus; ac Lictores a ligando dicti, quod fontibus ad supplicium manus ligarent.* Verum tempus est, ut ad varias Apparitorum species descendamus.

§. IV.

*De Scribis, Accensis, Interpretibus, Praeconibus,
Viatoribus, Servis publicis, Statoribus,
.corumque muneribus.*

SCribæ apud Hebræos Doctores erant in Mosaica lege periti; qui & hodie communiter, ut ait Macri in Hierolexico, hoc verbo, Rabbini vocantur. Idem asserit, de Tribu Simeon Scribas fuisse; ac proinde Tribus Levi, & Simeon, inter Israeliticum populum, di-